



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. VI. Scientia media derogat divinæ omnipotentiæ, ac enervat efficaciam
gratiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

DISPUTATIO SEXTA

illâ quæ ab altera attingitur: At juxta principia Adversariorum, voluntas creata in suis effectibus & operationibus attingit aliquam rationem priorem, & nobiliorem eâ quæ per se primò attingitur à Deo: Ergo illa priùs eligit & priùs determinat. Major est evidens: cùm enim causa & effectus sint correlativa, judicandum est de prioritate & de posterioritate causarum, secundum prioritatem, vel posterioritatem effectuum. Minor verò probatur. Juxta doctrinam Adversariorum, voluntas creata attingit per se primò in actu & effectu quem producit, rationem specificam, & determinat Deum ad illam; Deus verò per suum concussum attingit per se primò rationem individualem, & determinat voluntatem ad eliciendam hanc numero operationem, vel producendum hunc effectum in individuo: Sed in quolibet actu & effectu, ratio specifica est prior, & perfectior individuali; cùm prima constitutat essentiam rei, secunda verò sit extra ejus naturam & quidditatem: Ergo juxta principia Adversariorum, voluntas creata attingit in suis actibus & effectibus, aliquam rationem priorem, & nobiliorem eâ quam Deus per suum concussum attingit.

§. V.

Scientia media tollit à Deo supremum dominium in nostras voluntates.

^{145.} Probatur. Ille qui haber supremum dominium in rem aliquam, potest eâ uti, eamque applicare ad quodcumque voluerit, quodcumque voluerit, & quandcumque voluerit; in hac enim potestate utendi, consistit ius dominativum, ut docent Theologi & Jurisperiti: unde quia voluntas est regina & domina ceterarum potentiarum, & charitas aliarum virtutum, eas movent & applicant ad suos actus elicendos. Ergo si Deus non possit applicare voluntates nostras, ad liberè volendum quidquid ipse voluerit eas velle; sed priùs explorare debeat, & prævidere per scientiam medium, quid illæ ex innata libertate sint volitare, nec possit illarum determinationem & consensum prædeterminare, & causare, tanquam primum liberum, & primum determinans; sed illum ab ea debeat expectare, & veluti emendicare, ac precario obtinere, manifestum est, quod non habebit supremum, & perfectum, ac regale dominium in voluntates nostras, sed politicum tantum & civile, quale Maritus habet in Vxorem, vel Consul, aut Magistratus in populum. Hoc autem repugnat Scripturæ & SS. Patribus: dicitur enim Proverb. 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, vertet illud.* Quibus verbis Scriptura significat, cor Regis, quod inter omnia corda maximè liberum esse debet, ita esse sub manu & potestate Dei, & sub dominio ipsius, qualiter sunt aquæ sub manu hortulanii, quas derivat & dividit quomodo cumque voluerit: ita quod sicut aquæ non resistunt divisioni, quæ manu hortulanii fit, ita nec cor Regis, Deo efficaciter illud moventi. Unde sèpe docet Augustinus, *Deum habere cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Illum magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi homines. Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistere arbitrium; illumque de ipsis hominum voluntatibus facere quod vult, & quando vult &c.

A Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, ^{146.} Sicut Rex ille vel Dominus, non haberet perfectum & supremum dominium in servos, vel in subditos, qui non posset eis quidquam præcipere vel imperare, nisi quod prævideret, & præscribet illos suâ sponte, & propriâ inclinatione volituros; & qui non posset eos ad suam pertrahere voluntatem, sed potius cogeretur, voluntati illorum se accommodare: tunc enim talis Rex vel Dominus, potius faceret voluntatem subditorum & servorum, quam ipsi subditi & servi voluntatem Regis vel Domini. Ita similiter, Deus non habebit perfectum dominium in voluntates hominum, si non possit quidquam decernere, ac definire circa nos tristis actus liberos, nisi quod præscit, & prævidet per Scientiam medium, homines ex innata libertate volituros; nec operabitur omnia, juxta consilium voluntatis suæ, ut dicit Apostolus: sed potius secundum præscientiam, & prævisionem voluntatis nostræ, ut olim dicebat Faustus. Certè si Superioris in Religione, nihil aliud possent præcipere subditis, quam quod prævideret eos propriâ sponte, & inclinatione naturali esse volituros, facillimum esset illis obtemperare, nec magna esset illorum autoritas, & parvum ac ferè nullum obedientiæ meritum foret.

Confirmatur amplius: In sententia Adversarium verificari non potest id quod dicit Augustinus, Deum scilicet magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi homines: Ergo illa contradicit Augustino, & tollit supremum, & regale dominium, quod Deus habet in voluntates nostras. Consequens patet, Antecedens probatur. Homines ratione perfecti dominij quod habent in suos actus, possunt se liberè determinare, & de facto se liberè determinant, ad quod voluerint, quando voluerint, & ubi voluerint: Ergo si Deus non possit, sine laſione libertatis, applicare, & determinare voluntates hominum, ad quod voluerit, & quando voluerit; sed debeat per Scientiam medium explorare futurum consensus voluntatis humanæ, ac expectare, & quarere occasiones, & opportunitates temporis, loci &c, manifestum est, quod non ita habebit D in sua potestate voluntates hominum, ac ipsi homines.

§. VI.

Scientia media derogat divina omnipotentia, at enervat efficaciam gratiae.

Probatur primo: Juxta principia Adversarium, Deus servatæ libertate arbitrij nostri, non potuit promittere Abraham filios spirituales, per fidem & conversionem Gentium, ex facultatibus & thesauris suæ omnipotentia; sed solum ex presupposita Scientia media, quæ noverat, quod istæ vel illæ Gentes, tali tempore vocatae ad fidem, creditæ essent: vocatae, inquam, æquali vocacione externâ & internâ; imò fortè minori, quam alia Gentes, quæ non crediderunt: Sed hoc multum derogat divina omnipotentia, & enervat efficaciam divina gratiae: Ergo & Scientia media. Major pater, Minor probatur. Juxta hunc dicendi modum, quod Deus promissionem adimplere potuerit, non provenit tanquam à prima radice ab ejus omnipotenti, sed à potestate, & determinatione liberi nostri arbitrij: nisi enim hæc presupponeretur à Deo prævisa per Scientiam medium, Deus ex tota sua omnipotenti, & ex virtute auxiliorum gratiæ, quæ ab illa proveniunt,

nunt, talem promissionem facere, aut certè adimplere non potuisset: cuius oppositum expressè docet Augustinus cap. 10. de prædest. Sanctorum, his verbis. *Quando ergo promisit Deus Abram fidem Gentium, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia eti faciam homines bona que périnent ad calendum Deum, ipse tamen facit ut illi faciant que præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa complerentur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino prouissum est, ab ipsis redditur Abram.* Non autem sic credidit Abraham, sed credit in gloriam Deo, quoniam quæ promisit potens est facere: **NON AIT PRÆDICERE, NON AIT PRÆSCIRE, nam & aliena facta potest prædicere, atque præscire; sed ait, POTENS EST ET FACERE, ac per hoc facta non aliena, sed sua.** Quibus verbis clarissimè docet, certitudinem & infallibilitatem illius prouisionis, non esse defumendam ex divina præscientia explorante consensum voluntatis humana, sed ex divina omnipotentiæ, & ex virtute & efficacia gratiæ, determinantis, & applicantis voluntatem ad operandum. Idem docet Epistola 105. sic discurrens: *Quod promisit Deus, non facit nisi Deus; habet namque aliquid rationis & veritatis, ut homo promittat, & Deus faciat: ut autem homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superba impietatis est reprobus sensus.* Videndum est etiam de corrept. & grat. cap. 12.

149. Dices, scientiam medium non derogare divina omnipotentiæ, nec efficaciæ gratiæ, quia per illam, consensus voluntatis nostræ non prævidetur futurus, independenter à gratia, sed dependenter ab illa, & sub conditione quod illa detur, vel offeratur homini, in tali vel tali occasione.

150. Sed contra: Ille consensus non ponitur a scientia media, nec prævidetur ab illa, ut proveniens à determinatione gratiæ, infallibiliter agentis, & inclinantis ad illum; sed ponitur ut determinans ipsam gratiam, quæ de se indifferens est, & per consensum à libertate ortum, non à Deo prædeterminatum & prædestinatum, auxilium ipsum determinatur, & redditur efficax; & sic non prævidetur consensus, ut ab omnipotentiâ Dei, ejusque gratia, & auxilio determinatae proveniens, sed sibi ipso adjutorio illi oblato, à libertate nascens: sicut olim asterebat Semipelagiani, ut refert D. Prosper vers. finem Epistola ad Augustinum, cuius verba supra §. 1. retulimus: Ergo scientia media derogat divina omnipotentiæ, & tollit efficaciam gratiæ. Consequens pater, ut enim dicit Fulgentius libro de Incarnat. & gratia cap. 29. *Quomodo Deus omnia que vult facit, si volens hominem salvum fieri, cuja salus non nisi à bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine inchoat, sed ut ab homine nascatur expectat? O quam pessimum nefus affirmitur, dum gratia Dei contumaciter repugnatur, & homines opera Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existarent.* Ita ne vero rerum ordo credi putari permittitur, ut Deus qui Creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare; & qui nullius eget adjutorio, ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non posse, priusquam in homine ipsum velle repererit? Hanc, inquit, ameniam, & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus anferat Deus.

Tom. I.

A Dices rursus, Quamvis Deus sit omnipotens, non potest tamen facere, aut velle impossibilia: unde cum impossibile sit illum obtinere & cauare liberum consensum creaturæ, per aliquid physicæ prædeterminans, & antecedens prioritate naturæ determinationem voluntatis creaturæ, divinae omnipotentiæ nequam derogatur, dicendo quod Deus nihil possit certò statuere ac definire, circa actus nostros liberos, priusquam per scientiam medium exploraverit, ac præviderit librum voluntatis humanae consensum.

B Sed contra: Cum omnis causa debat esse prior saltem naturæ & causitate suo effectu, tantum abest quod sit impossibile Deum obtinere & cauare liberum consensum, ac determinationem nostræ voluntatis, per aliquid illam prædeterminans, eamque antecedens prioritate naturæ, quin potius repugnet, & implicet contradictionem, quod aliter eam cauerit, ac officiat, quam per influxum præsum, & prædeterminantem. Unde si Deus talen determinationem & consensum voluntatis humanae, obtineat per scientiam medium, explorantem, ac expectantem circumstantias, occasiones, & opportunitates temporis & loci, & exhibendo concursum tantum indifferentem, & à voluntate creata determinabilem, illum non obtingebit, causando & efficiendo, sed eum expectando, & veluti emendando à voluntate creata: quod multum derogat ejus omnipotentiæ, & efficaciae gratiæ; ut enim cecinit D. Prosper in carmine de ingratis cap. 1.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvare. Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi Semper adest, que gesta velit; non moribus illi: Fit mora, non causa anceps suspenditur ullis: Nec quod sola potest, cura officioque ministri Executitur, famulisve vicem committit agendi.

C Secundo principaliter arguitur, Supposita scientia mediæ a aliquo conditionato, v. g. de conversione Petri futura, si ponatur in his vel illis occasionibus & circumstantiis: vel potest divina voluntas, stantibus adhuc illis conditionibus, velle oppositum, vel non potest id velle? Si possit velle oppositum, illa scientia non erit infallibilis; quia adhuc restabit consideranda voluntas divina, à qua poterit impediti talis conversio, & cassari seu evacuari veritas objectiva hujus futuri conditio- nati. Si vero posita illa conditione, & cognita per scientiam medium determinatione voluntatis Petri, conditionate futuræ, Deus non possit oppositum velle, pro illo statu conditionato, diminuta est divina omnipotentiæ, & libertas divinae voluntatis, circa tale objectum, & circa omnes alias combinaciones liberas conditionatas; & ali- quid est possibile, & liberum voluntati creaturæ, quod non est possibile nec liberum voluntati divinae: voluntas enim creata, sub illis occasionibus & circumstantiis, prævidetur se determinatura ad unam partem, cum possibiliitate & libertate se determinandi ad aliam.

D Confiratur & magis illustratur hæc ratio. Dicere aliquid esse, vel fore liberum, & impedibile à voluntate creata, & non à divina, vergit in præjudicium omnipotentiæ, & libertatis divinae: Sed penitentia Petri, sub illis occasionibus & circumstantiis, in quibus per scientiam medium prævidetur conditionate futura, est libera voluntati Petri, & ab ea impeditibilis, ut constat. Ergo si illa non sit etiam libera voluntati divinae, & ab illa impeditibilis, omnipotentiæ Dei, ejusque libertati derogatur: Sed juxta principia Adversariorum, talis con-

151:

152:

153:

154:

R. 1.